Nicolaus Cell.

1. Brief an Graf Ludwig v. Wittgenstein 16. März 1562.
2. – – – – – 18. April. –
3. – – – – – 24. Mai. 1565
4. – – – – – postrid. Phil. Jacobi –
5. – – – – – 3. Juni 1564.
6. – – – – – pridie Petri Pauli –
7. – – Gottfried Pfarrer z. [illegible] – Battenberg 13. März 1567
8. – an seine Hausfrau Anna.
9. Ein Aktenstück 18 Mai 1565 „Kanzlei zu ~~[illegible]~~ Hessen.
10. Brief an Graf Ludwig. 30 Mai . .

Nicolaus Cell.
Epistolae
No. XI.

9.



Cum ad hanc vitam nihil sit vera sapientia praestabilius, ad futuram autem nihil pietate fructuosius, non tam ob id mihi gratulor quod ad horum studia me Deus a primis annis vocavit et segregavit quam quod nunc quoque in matura aetate illi me gubernatori subiecerit, qui ipse vivum exemplar utriusque mihi praeferat et ad utrumque calcar non mediocre addat: Siquidem exempla illustrium virorum magis quam ipsa praecepta dociles animos movent, et ad virtutem inflammare solent. Ingratus autem forem, nisi haec beneficia Dei singularia agnoscerem atque magnifacerem, quibus nescio an similia unquam mihi aequali sub sole hoc obtingere potuerint. Quia vero ut corporum sic et ingenii vires exercitio confirmantur, et styli quoque ad facultatem cum loquendi tum iudicandi plurimum confert, propositam commoditatem obviis ulnis amplector: et principio ubi Generose Comes pro clementia ac humanitate tua, quod me humilem et indignum ad familiare colloquium invitas, dignas quas possum gratias habeo atque ago: Hinc ad quaestionem propositam digredior, in cuius explicatione si forte aut infelicior fuero aut obscurior veniam supplex peto: nec enim perfecti doctoris sed collocutoris tantum simplicis personam me suscipere hoc loco profiteor.

De dignitate et efficacia orationis thema proponitur. Lutherus ut ad invocationem veram, quae est praecipuus et summus cultus Dei, fidelium animos exsuscitet atque cohortetur, non vult eos deterreri propriae indignitatis intuitu (quae vera in sanctis in hac vita haeret) propter hanc enim preces proprias plerumque omittere solemus, sed iubet firmiter niti praecepto Dei et fiducia Mediatoris, per quem accedentes ad thronum gratiae recipimur et exaudimur.

Praecepto Dei firmiter nitendum

Simili argumentatione Christus discipulos suos ad invocationem aeterni patris excitat, Joan. 16. Ubi vetat ne sua intercessione solum nitantur sed ut proprias quoque preces coniungant: Ipse enim pater amat vos, inquit, quia vos me amastis, et credidistis me a Deo exiisse. Quid autem essent preces nostrae sine spe et fiducia exauditionis nisi inane murmur, aut verius irrisio Dei, quemadmodum gentes invocare Deum solitae dubitantes an exaudirentur, famam tantum pulsabant inanem, ut Virgilius loquitur? Ideo ecclesiae sunt traditae promissiones, et patefacta voluntas Dei; ut quemadmodum Jacobus monet, in fide sine haesitatione petamus. Dubitatio namque in precatione, quae quasi abnegat veritatem et bonitatem Dei, plane impia est, et indigna quae quicquam a Deo impetret. Unde divus Bernhardus, Fratres, inquit, nolite contemnere orationes vestras, sed scitote quod cum primum incipitis orare, mox oratio vestra recitata et scripta est coram maiestate divina.

Quid sit exauditio

Exauditio tamen sic definienda, non ut Deus semper faciat quod nos optamus, sed ut faciat quod utile est et salutare:

Nam Deus cum bonus sit, nihil potest dare nisi quod bonum est: in alijs vero etiam
exaudit cum non facit quod nos petimus. Hinc scite Mantuanus, audit Deus orantum
precesque optima, mortales audent orare quod optant. Idcirco statuamus preces
nostras nunquam irritas esse etiamsi eius ut differantur ut non respondeant nostrae
cogitationi, tentamus discrimen rerum praeclarum, bonorum corporalium et spiritualium,
et in cruce simul offeramus obedientiam si Deus velit nos diutius exerceri.

Cur exempla Sanctorum nobis proponantur

Quod autem ad Sanctorum quorundam exempla attinet, ut Abrahae, Mosis, Pauli,
non tam hic sponte praerogativa quam gratia Dei praedicanda videtur, qua his
significare voluit quam propensus sit ad exaudiendum orantium ad se preces.
Unde et nobis inferioribus ista proponuntur, ut ex his orandi efficaciam consideremus.
Sic Jacobus in medium producit Eliae exemplum, ut ad imitationem omnes
excitet: et quamvis praemittat, multum valet precatio iusti assidua, ne tamen
inde fingamus Sanctos fuisse semideos aut ut ita dicam impeccabiles, de
ipso Elia subiungit quod et ipse homo fuerit ijsdemque nobiscum passionibus obno-
xius. Verum tamen ut ille exauditus est in spiritu et veritate orans, ita et
nos exaudiendos concludit. Cum enim sit commune orandi praeceptum communisque

Commune praeceptum orandi: ergo et effectus

promissio, sequitur effectum quoque fore communem, licet in negocijs diversis et
pro vocatione cuiusque. Non quidem alienum est a Deo, fateor, amicorum suorum,

Deus Sanctorum preces exaudit

quos singulari est favore complexus, exaudire preces, inde tamen non sequitur
quod horum tantum et non inferiorum ac peccatorum quoque preces exaudiat.
Publicanus utique et Latro in Cruce peccatores fuerunt, quorum tamen preces
exauditas esse legimus. Non debemus igitur sic dare Deo respectum iustitiae, ut re-
spectum illi necessitatis nostrae communisque miseriae auferamus, quo non homines
tantum sed et iumenta servat pullosque corvorum invocantes exaudit. Propria

Vera causa exauditionis

ac vera causa, quod clamantes ad se exaudit Deus, est infinita illius bonitas,
philanthropia, clementia ac misericordia, non merita nostra.

Qui peccatores a Deo non audiantur

Quod autem Deus peccatores non audire alibi expresse dicitur, distinguendum
inter poenitentes et impoenitentes, deinde singularibus illis peccatis intelligendum
quae Deus in populo suo summopere detestatur, qualia sunt impietas et hypocrisis,
violentia, crudelitas et superbia: alias fieri nequit ut qui orat ad Deum
ab omni sit peccato purus: nec hoc requirit Deus a nobis qui novit quale fig-
mentum simus et in cuius iudicio non iustificatur ex operibus legis ulla caro.

Publicae preces non contemnendae

Porro ut privatae nostrae preces non omittendae, ita nec publicae fidelium pro
nobis intercedentium orationes contemnendae, sed sanctae habendae sunt, propter
praeceptum charitatis, orate pro invicem, et propter exempla efficacia alienae in-
tercessionis: Moses et Samuel pro populo orantes, exaudiuntur: Petrus et Joannes
pro Samaritanis orantes, impetrant ijsdem Spiritum Sanctum. Paulus saepe testatur

in epistolis suis se orare pro fidelibus, horumque precibus vicissim apud Deum adiuva-
ri petit. Admiror itaque Lutherum pie sentientem, Orationes Christianorum,
quas Deo patri per Christum dominum ac mediatorem nostrum unicum offerimus et
per eundem exaudiri petimus, aeque esse sanctas atque acceptas Deo ut pauli
aliorumve sanctorum. Interea tamen nusquam aspernandas docet piorum fratrum
et nobis publicasve deprecationes. Eandem prerogativam aliquam prophetis
et Apostolis, ut vocationis ita et virtutum et donorum, merito concedimus, verum
eundem accessum in eodem spiritu singulis fidelibus per Christum tribuimus.

Quapropter mandati, promissionis, nec non misericordiae dei memores, ore-
mus semper privatim et publice ut Deus nos faciat utilia et salutaria
organa, ut regat, servet, defendat Ecclesias, respublicas et familias nostras
ad sui nominis gloriam, sanctamque fidem et invocationem pro nostra medio-
critate imitemur, certi, laborem nostrum in domino non fore inanem.


Haec de materia proposita breviter respondere visum est, in quibus si quid inest
quod quaestioni minus satisfaciat, admoneri cupio: non enim tam docere
quam doceri gestio. Tu Generose Comes pro aequanimitate solita, respon-
sum hoc qualecunque eloquendi vilium [?] suscipere ne dedigneris. Bene vale,
Lipsiae. 16. Martij, anno. 62

Progativa sanctorum.

D. T.

Deditiss.

Nicolaus Coll[?]



Generoso Illustriss. Comiti, Dno Ludo-
vico, Comiti à Witgenstein
Dno suo clementiss.

Gratia et pax a Domino: Ad secundam quaestionem a Clementia vestra mihi propositam, Generose Comes, qua debeo obedientia et quanta licet brevitate respondeo. Summus sapientiae gradus, imo vita aeterna est, nosse Deum: huius enim agnitio tam hic quam alibi beatos facit. Non sufficit autem communis illa notitia quam Turcae, Iudaei et gentes quoque habent, qui ex creatione et gubernatione coeli et terrae deprehendunt esse numen aeternum, sed requiritur vivifica illa et theologica agnitio, qua ex verbo Dei et misso filio bonitatem aeternam patris erga nos apprehendimus, quod per filium unigenitum genus humanum felicem restaurare et salvare decrevit, iuxta promissionem factam patribus et iuxta Euangelii vocem. Haec, est fons et origo omnis pietatis et salutis, ex hac gignitur dilectio Dei, vera invocatio et observantia divinae voluntatis, vitaque vere beata. De hac loquitur Christus Ioan. 17. Haec est vita aeterna ut cognoscant te solum verum Deum etc. Porro, quod ad particulam, solum, haec non excludit a divinitate Filium (ut olim Ariani perperam hinc argumentabantur) ita nec Spiritumsanctum, qui a patre et filio procedit, imo per quem haec vita et lux in nobis inchoatur, motusque spirituales congruentes legi Dei in salvandis creantur, ut passim in scripturis docetur. Ut enim una et communis essentia est, ita et indivisae operationes patris, filii et spiritus sancti. Utriusque itaque patris et filii mentione facta, simul includitur spiritus sanctus, qui patris et filii spiritus est, per quem pater et filius illustrantur et glorificantur in fidelibus, in quo consistit animae nostrae illuminatio et regeneratio, omniumque gratiarum communicatio, adeoque totius bonorum quae a Christo nobis emanat efficacia, per quem usque divinae misericordiae et salutis in Filio completae fructus nobis obsignatur. Unde et Baptismi nostri ratio docet nos a peccatis liberari, et ad vitam aeternam recipi, tam spiritus sancti nomine, vi, et autoritate, quam patris et filii. Hinc eleganter Basilius, Baptizari nos oportet itaque, sicut accepimus: credere autem sicut baptizamur, glorificare autem sicut credimus patrem, filium et Spiritumsanctum. Non opus est hic acuminis aut ingenio, sed docilitate et fide. Quare ut non ab essentia divinitatis, ita nec ab operatione salutis nostrae Spiritumsanctum excludi dicimus, quem cum patre et filio solum verum Deum credimus, confitemur, colimus, adoramus: qui ut in nobis inchoet vitam aeternam, excitet motus sanctos, gubernet consilia omnesque actiones, ex toto corde precor atque opto. Bene vale Comes Generose. Lipsiae 18. Aprilis. anno 62.

G. T.

S.

Nicolaus Cell.

Generoso Comiti, Domino Ludo:
uico, Comiti à Wittgenstein c
domino suo clementiss:

C1


Gratiã & pacē Christi, Dn̄o meo Generoso semp precor, ex animo.

Revertitur ad vos Comes Generose Stammarius noster, ut domino certò exponat lapidū qualitatē ac situ, de quibus nup mentionē fecit, utque de illis ipsis effodiendis & transvehendis rationē ac modū communi consilio statuat, opusque conductū tandē maturē aggrediatur. Monstrabit Dominis Vindicorū futuri operis adumbrationē, quae ut spero nō displicebit. Necessariū quoque esse arbitror, ut artifex iste noster, ante plurimas loca templorū ubi tabulae istae lapideae erigi debent, ut inde aptā qualitatis commoditatē mente colligat. Porrò nup à me petijt bonus vir, ut duos thaleros ad mercedis speratae initiū à Domino accipere posset, iussi gratū esse donec melior offerretur opportunitas. Qua verò eminentiae perfectione altera quoque opus esse ad expoliendos lapides effossos, homineque domestica egestate premi intelligo, quod si Dominus homini subvenire & gratificari voluerit, poterit tamen illū mitiùs urgere, acuet ista beneficentia vigilantiā & diligentiā. Responsū quod Bartholomaeus noster à Principe accepit, legendū transmitto: expectabimus tempus consilium & sententiā illam supremā. Bene vale Comes Generose, usque fortunā, animo, ut facis, fer constanti, dabit Deus noster tandē malis his nostris etiā finē & portū optatū. [illegible] 24. Maij, Anno 65.

G. T.

S.

Nicolaus Coll.



Illustri ac Generoso Dno Ludovico
à Seina, Comiti in Witge=
stein domino suo
Clementiss.

8

Gratiam et pacem. Cum ex re tam ecclesiarum quam Bar-
tholomei fore diutius mecum considerem, Comes Generose, an-
gustias illas, in quibus adhuc cum Illustrissimo principe haeremus, superare, hoc consilium iam Bartholomeo in deliberatione dedi, quod
antea quoque exposueram, ut ipse recta ad principem proficiscatur,
rationes omnes conditionis suae scripto exponat, libertatemque
sibi concedi humiliter petat. Non sic enim certum responsum inde
a principe exsequi posse, plane mihi videri. Annuit
huic meo consilio Bartholomeus, suam sortem accusans quod etiam
nunc in dubio relinquatur, omnia potius tentanda existi-
mans quam aut dominum fallere aut falli. Ne tamen
citra Generosi Comitis voluntatem ac consensum hic quicquam a
nobis statuatur aut fiat, iussi ut sententiam hanc nostram
ipse prius domino coram exponat, audiatque quid de ea domino
videatur. Nollem equidem ecclesias has vestras domino
iniusta ratione turbari aut Bartholomeo ullam molestiam
inferri. Cadat responsum in quamcumque partem velit, sic tamen
Deus Ecclesiis suis constantius prospiciet, Bartholomeus vero
suum suis commodis consulere poterit: huc enim omnis haec
mea cogitatio et consultatio vergit. Posset proficiscenti Bar-
tholomeo, si expedire ac utile iudicarem, scriptum aliquod
breve a Generoso domino addi, per quod princeps obiter admo-
neretur prioris solicitationis et responsionis nuper praemissae.
Omnia ista arbitrio domini commendamus et committimus.
Bene vale Comes Generose. Lipsiae postridie philippi Jacobi
anno 65.

G. T.

D.

Nicolaus Cell.

Nicolaus Coll p Bartholomeo
[illegible]

Inclyto et Generoso Domino
Ludovico à Sein, Comiti
in Witgenstein Dno
nro clementiss.

7

S. P. Veras effudi lachrymas cum a te mihi discedendum esset
Comes Generose, quas demum mihi excussissent literae tuae
quibus abeuntem animare praeter consolationem quasi deducere
conatus es. Pietatem hanc nimiam erga me, omniaque beneficentia
a me variis modis collata recompenset Deus, largitor munerum
optimus. Salvus cum familia in patriam redii, et cum inadverterem
Ducem in Zigenhein e expeditione reversum, statim ipsum adii et
quae Dominus mandarat exposui: quod ad filium attinet, rem
dilatam respondit non ex ulla negligentia, sed quia per negocia
avocatus tu ipse aliquamdiu abfueris, tum filius adhuc e propria familia
absit, qui rediens, Dominum quamprimum convenire debet. Alterum
quod exposui, de Bartholomaeo Scitico, dixit se cum principe primo
tempore transacturum, et renunciaturum Domino certam sententiam
illius, nec quicquam dubitat de principis hac in re consensu et voluntate.
Remitto Gregorii scriptum, cuius diligentiam atque studium, quod ultro
profitetur, commendo, et utilis est ecclesiae Christi simplex psalmorum
explicatio: quod si auditorum penuria non moveretur, laborem hunc
sponte et voluntarium nemo impedire poterit, quod non erit inanis in
Domino. Bene vale, meque commendatum ut habuisti, semper habe.
Datum Treisae 3 Junii anno 64.

G. T.

S.

Nicolaus Coll.

Generoso ac inclyto Domino
Ludovico à Seyn, Comiti in
Witgenstein, Domino
suo clementissimo

5

Generoso Domino D. Ludoico comiti in Witgenstein &c. Domino suo clementissimo.

De abrogatione forensium et ceremonialium legum G. d. comes, quae eam ob rem traditae sunt, ut inter dei populum et gentes discrimen extaret, satis superque in superioribus meis scriptis dixi. Hae (ut scriptura sancta loquitur) adveniente Messia finem habiturae erant, siquidem typi et figurae evanescunt, res ipsa dum adest. Judaico itaque populo gravissime interdictum lege fuit, ne impiarum gentium more statuas erigant impias. Christiani vero hac ceremoniali lege exempti, imagines pias et christianas habere possunt, modo non honorem et cultum divinum (qui soli Deo debetur) illis exhibeant, sicuti appendix primi praecepti habet. Non adorabis ea, neque coles. Cum itaque in Antagonistarum nostrorum templis honor deferatur B. Mariae, Annae, Barbarae &c. operae pretium esse existimabam, cultum illum deo summopere displicere, et ne auditores nostrarum Ecclesiarum in hasce rursus inciderent idolomanias et impietates, necessum erat in explicatione primi praecepti indicare, hunc cultum (qui olim etiam in nostris Ecclesiis frequens erat) esse impium. Nihil itaque hactenus a me prolatum est, quod ego quidem scio, quod sanctis literis vim faciat, idque exemplo prophetarum veteris instrumenti, qui strenue et acriter (ut V. d. verbis utar) idololatriam in populo dei taxarunt, et tam impiam esse clamitabant, adhaec deum devastaturum esse regna idolatrarum. Nunc autem propius V. d. accedit, et disputationem de imaginibus christianis ita proponit, ut sanae mentis homo imaginum piarum usum non facile condemnare possit. Sunt enim figurae Biblicae salutares, et incitant christianos ad considerationem rerum divinarum. Facile itaque me V. d. sententiae subscribo, nec illas picturas Bibliae in meis scriptis reiicio, cum illae potius fructum quam detrimentum seu falsum cultum praeferunt.

DISPVTATIONVM FINIS.

Scimus idola nihil esse, ideo detestanda: Biblicae historiae rude et imperitum vulgus erudiunt, ideo ferendae. Quae igitur in superioribus scriptis a me proposita sunt, in sua sententia scripturae sacrae conveniunt, nec muto sententiam. Quae in hoc scripto traduntur, salutaria esse judico. Et licet plura argumenta in contrariam partem ab ingeniosis adferri possint, tamen veritas invicta semper et mansit et in perpetuum manebit. Valeat V. C. in annos multos, valeant etiam in Christo omnes fideles falsum cultum detestantes et gloriam et honorem soli omnipotenti et veraci Deo tribuentes.

Victor abit Dominus, victus cadit ecce Minister,
Cui cedens Domino rursus idola probat.
Offer sacra fames, quod non mortalia cogis
Pectora, tu sanctos deiicis et reparas.
Damnas et laudas eadem, ceu mollis arundo
Percutit adversum, turbine mota, latus.

Nic: Coll.

5.

Versus carmen satyricum in ... Nicolai Coll.
Haugoldi sententia de imaginibus.

S. P.

Rescripsi nuper Domino, sed animo adhuc adeo perturbato, ut quid rescripserim, nunc ignorem. Volui autem Domino animum gratum offerre pro beneficiis et summa humanitate, qua me ab initio complexus est, et qua etiam discedentes prosecutus est: Hanc similis memori mente celebrare licet, quod autem retribuam non habeo. Gratus est qui aliquid pro eo quod acceperat reddit, ait Seneca, at divina virtus est benefacere indignis, aut etiam his a quibus nihil speres: et qui affectum animi grati offert, cum aliud non habeat, inter gratos numerandus venit. Dominus me (?) quemadmodum et vitae et sortis meae, pro locum iam naturae quam vocationi meae convenientem mutare coactus sum: et quamquam patria divinum iudicata est et magis amanda quam mater, ut Plato asserit, ego tamen non odio patriae sed ecclesiae amore, saltemque pacis dulcedine illectus, statum meum qualemcumque, rebus etiam carissimis praeferre didici tamen. Virtus fortitudinis opus, quae non versatur circa delectationes sed in patiendo et ferendo adversa et gravia sita est. Accepi plaustrum vini, regium munus: pro quo insigni beneficio quid debeam agnosco, quid praestem ignoro: munificentia vestra cum gratiarum actione debita fruar, donec externo aliquo officio gratae mentis significationem reddere detur.

Generosa soror iam proximi mensis per literas egit, petens ut circumspiciamus de viro aliquo pio et cordato, qui doctrinam sinceram proponere et ipsam ex verbo Domini mediocriter defendere norit. Utinam talem mittere possemus! Ego prorsus votis non desero, nondum tamen mihi de tali spes certa facta est, paucos enim nunc novi theologiae studiosos, diligenter tamen inquiram si forte deus idoneum obtulerit. Ecclesias et scholas patrocinio et tutela vestra, ut semper, gerendo (?), ex illis enim et pietas discitur et patriae honos crescit. Vale bene et feliciter cum uxore Generosa totaque aula. Datae Treisae (?) pridie Petri et Pauli, anno 64.

G. T.

S.

Dux Zweibruckensis, quantum hodie ex eo intellexi, intra triduum Generositatem vestram ipse conveniet.

Nicolaus Collius

Generoso ac Inclyto Dño
Ludovico, Comiti in Witge:
stein c Dño suo cle:
mentissimo,

4

Genad und frid von Gott dem vater, und seinem eingebornen
son Jesu Christo unserm Heiland, zuvor: Wirdiger lieber
Theodor, Es hat mir mein Genediger Herr von Wittgenstein
erzelet, wie das ire Genade nun vil iar her gros bedencken
und beschwerung gehabt der kirchen oder gemein halber zu
Newmagen, (darumb ire Genaden ein gut theil habe ~~ime~~ der
Unterthanen) das bei denselben noch allerlei grewel und mis:
breuch beide in Lehr und ceremonien wissentlich geduldet
und getrieben werden. Und bringt ire Genaden nunmehr
ein grösser bedencken und beschwerung, das sie nach dem abgang
des gewesenen Pastoris, einen andern darzustellen und der kirchen
vorzusetzen verpflichtet, Da ire Genaden ia nit gebüre will einen
sölchen zu erwelen, der die Gemein lenger in gewonter blindheit
stercken und tieffer hinein füre, dan das hieß der herde Christi
nit ein hirten sonder ein reissenden wolf vorgesetzt, darüber
der Son gottes von ire Genaden, als die der seligmachenden
warheit guten grund und bericht gehabt, zu seiner zeit schwere
rechenschafft fordern würde. Unter andern aber gab ich
ire Genade zuverstehen, wie das ich aus der Conversation
so ich ein kleine zeit mit euch zu Newmagen gehabt, auch aus
andern bericht so ich umb ewer Lehr gefragt, vernomen und
befunden, Das ir nit unverstendig seit was in etlichen hohen
und nötigen artickeln christlicher Lehr, des Herrn Jesu wille,
gebot und ordnung sei: als von rechtem brauch des heiligen Sacra:
ments unter beiderlei gestalt, vom dienst und anbetung des
einigen ewigen wahrhafftigen Gottes, vom Verdienst und krafft
der Menschwerdung und leidens und aufferstehung des Herren
Jesu Christi, von heiligen guten wercken so gott durch den heiligen
geist in der gleubigen hertzen zurichtet und wirket. Allein
sei noch menschliche furcht und blödigkeit in ewern hertzen,
die warheit zubekennen, oder aber die bekandte warheit
fridlich ins werck zustellen, welchs vil guter gemüter aufhelt
und abschreckt: aber dennoch gelte diese entschuldigung für gott nichts,
welcher von allen menschen, zuvorab von den pastoribus fordert,

bekentnis und ausbreitung der warheit (in welcher der menschen heil
gelegen) on alle scheuw. Als man aber weiter von ein
idoneo pastore praesentando beratschlaget, war mein sinne, es konne
niemand in der Newmagischen kirchen ein friedlichere besserung
beid in lehr und Ceremonien anfangen und anstellen, als eben ir,
so ferr ir gottes willen und ewer vertrawte Gemain, welche
Christus durch sein blut erkaufft, mit trewen meinen wolt.
Damit ir aber hierinnen desto kunlicher und getröster handeln durf-
fen, hetten ir euch erstlich und für allen dingen zuverlassen und zube-
rüffen auf gottes wort und ernsten befelch, welches von allen
streitenden artickeln klaren bericht gibt: Darnach auf meins Ge-
nedigen Herren von Witgensteins, als des Collatoris und der
kirchen verordenten patrons, gebot und auflage, welcher euch, wo
euch derhalben etwas unbillichs begegnen würde, entschuldigen
und vertreten konne und wölle: Da es were ir Genaden
gesinnet, euch vor vilen andern, mit der pfarr zubegaben, wo
sie vernemen, das ir euch recht schicken und der gemein
mit trewen vorzustehen bedacht werd: Und im falle, das
ir Genaden euch an dem ort nit schützen und erhalten
konten, würden ir Genaden on zweiffel euch an ander örter
promoviren, da ir von iederman unverhindert, Christum und die
warheit bekennen und predigen durfft. Man soll nit blöde
und verzagt sein in sachen die gottes wort und ehr belangen
wir sollen unser befolen ampt verrichten, und Gott die sorge
und das gedeien befelen: wenn wir aber unsern dienst ver-
saumen und unterlassen, will gott auch nit wircken noch
den segen geben, wie man auch in irdischen hendeln und ge-
schefften mercket und spüret. Auf das ich aber zu
meinem proposito kome, Es ist mein Genediger Herr von
witgenstein bedacht auf erster gelegene zeit selbs persönlich
hin gegen Newmagen zuziehen, und der kirchen gelegenheit

zuuerhüten und aufs treulichste zubestellen, hatten euch
ire Genaden sonder dazu bewisten, ist aber aus sonder
lichen ursachen aufgezogen. Nun hatten wir das bedencken
weil zu yetziger zeit das volck zu communiciren pflegt,
wo ir würdet anfangen von der communion sub utraque
specie ewer volck zu unterrichten, sie auch zu ermanen das
sie des Herrn Christi Testament ungeteilt und unzerris-
sen gebrauchen wolten, ir würdet etliche damit gewinnen
die dan gehorsam sein, und sich gar willig erzeigen
würden ~~wolten~~, sintemal diss allenthalben on streit ist, das es
des Herrn Christi befelch also sei, und das es das aller
beste und gewisste sei dem Herrn Christo folgen. So
pflegt man auch bald die Creutz und heiligen tracht,
welche gar aberglaubisch und voll abgötterei stecken, zuhalten,
Darum kont ir leichtlich das volck abweisen und abfüren
wen ir ewers ampts nachkomen wolten: dan dieser
missbrauch kan man auch den kindern entdecken, und
wirt vom grossen hauffen selbs verlacht und verspott: wenn
aber der ~~pastor~~ prediger solche ding dem volck selbs verkündigt
und ime dazu will hulf und anweisung thun, ist
alle Lehr, so darwidder gestrickt, umbsonst und verlo-
ren. So ist nu mein bitt und rath ir wollet
in diesen puncten dieweil etwas unterstehen und fürnemen,
damit wenn mein Genediger Herr komen wirt,
man ewern ernst und gut gemüt hierinne spüren möge,
Darumb thut ir nit allein das ir bei ewer selen heil
zuthun schuldig sein, sondern wirt euch sonst auch zur
förderung gereichen. Diss hab ich euch aus sonderlichen
ursachen und gutem christlichem gemüt zuschreiben
wollen, will darnach geliebts gott, bald mündlich mit euch
weitleufftiger handlen, und euch dan dieser meiner ver-
meinung grund und not anzeigen. Reine lehr mit guter
bescheidenheit vermag vil bei fromen hertzen, dan dadurch
ist Gott selbs krefftig, und gewinnet die zu leben verordnet
sein: Den gotlosen hauffen muss man hierinn nit ansehen noch
fürchten. Hiemit will ich euch Gott befelen, welcher ewer

dienste reichlich und ehrlich belohnt wirt, aber den unfleissigen
und untrewen knechten böse belohnung geben: diss und mehr wir
ansehen, und dagegen unsern gute und ungute, in der welt
herlikeit und verfolgung gering achten: und stehe in guter zuver-
sicht, mein vertrawen so ich hievon zu euch gehabt, werde
mich nit fehlen. Dat. Quedlinburg am 13. Marty
Anno 67.

Niclas Coll
an
Stadtschreiber
Pfarrherrn zu Veldentz

Her Niclas Coll
an
Her Moritz zu Veldentz
die Neuburgische Reformat
belang

12


Meinen freundlichen gruß zuvor. Anna liebe Hausfraw,
Ich spüre wol an dem überschickten brief das du villeicht
sorge für mich tregst, aber es will mit unserer sorge nit
alzeit genug sein, der Herr wölle unser sorge zu sich nemen
und uns nach seiner vetterlichen güte versorgen. Ich hab
neulich meinem vatter geschrieben wie es umb mich gelegen
sei, wie ich in ein schwachheit gefallen, welcher ich verhoffe
sie werde bald widerum finden, Da ich aber den schaden
nit erkennen kan, ob es das fieber oder das kalt, wiewol
ich mehr hitz dan kelte empfinde, das macht mir zu
schaffen genug, das ich nichts liebers wünschte und begerte
dan ich were daheim bei den meinen? aber wie soll ich
im thun, ich mus diss creutz auf mich nemen bis es gott
widder lindert: Es mangelt mir an keiner pflege und
wartung nit, und betrübt mich nur mehr das ich hör das
mein tochter Anna an dieser traurigen schwachheit auch
lange zeit gelegen. Es widderredt mir des pucers
Doctor und Artzt ich soll mich noch auf keinen weg
geben, sonst wolt ich unterstehen mich lassen widder
heimher zu füren: Drumb mus ich besser zeit und gelegenheit
von gott bitten und erwarten. Es ist aber mein freundliche
bitte an dich, liebe Anna, du wöllest meiner halben
wol zufrieden sein, und daheim deiner selbs und der
kinder aufs fleissigst pflegen, und dieweil ich vernym
das es mit dem sterben etwas widder anfange, wöllest
nit dafür so sehr erschrecken und damit das hausgesind
selbs blöd machen, sonder dich mit den deinen gott vertrauen
und bereit sein dem Herren zu leben und zu sterben: Gott wirt
dich nit verlassen, sondern hülff und rat schaffen: du solt
auch von mir nit verlassen werden, so lang mir gott das
leben gefriste. Eins bitte ich dich, du wöllest dir meinen
vatter lassen befolhen sein, welcher es alzeit mit dir vetterlich gut
gemeint, wie mir vor und anderen bisweilen schreibe, dan das
bin ich schuldig und kan gott kein gefelliger opfer thun.

Dr Niclas Crell letztes
schreiben an sein hausfraw
so er in seiner kranckheit
zu Dilnberg gethan

11

Uff Bartholomej Crentzenbachs underthenigs anpringen und ersuchen, Da Graff Ludwig zue Witgenstein Jme die pfar verwalltung zue Lasphe zustellete, das er allsdan vor der abforderung sicher sein möchte, etc. Hat unser gnediger furst und herr zue Hessen diesen beschaidt gegeben, Wan der Supplicant von Burgermeister Rath und gemeinde zue Treisa hieruber ein verwilligung auspringen, und die S: F: G: zueschicken wurdet, das S: f: gl: uf schiersten Synodo mit denen Superintendenten allsdan aus dieser sachen redden und sich entlichs beschaidts vernhemen lassen wolle, — Signatum Kauffungen am 18. Maij Anno Domini 1566.

Cantzley zue Hessen.



S. D. P. Sententiam veram de recta quaestione proposita, scilicet de iustitia comminationis
divinae in Lege expressae, deque Christo iudice, in tempore gratiae Salvatore mis-
so, paucis explicare studebo: qua dexteritate et fide, tuum esto Comes Genero-
se iudicium. Videtur a divinae iustitiae aequitate alienum esse, quod ad D. T.
aliquot argumentis demonstrari, poenam alieni delicti ab insonte petere, praesertim
cum ipse Deus alibi affirmet se non commissurum ut filius portet iniquitatem patris, E-
zech. cap. 18. Verum iudicii illius iustitia per se elucescet, observata
comminationis huius ratione. Coluerant patres populi Israelitici simulachra
Aegyptiacae superstitionis, ante Legem latam, cum adhuc versarentur in servitute et
tenebris Aegypti: hanc impietatem misericors et longanimis Deus pariter tulit
nec pro sua iustitia ultus est, usque ad tempus visitationis et liberationis:
postquam populo suo Legem sanctam cultusque certos praescripsit, iuxta quos
praecise coli voluit, relictis superstitionibus gentium quarumvis. Iam ne posteri
praesentes, sub luce scientiae Dei, spreta lege, redirent ad iniquitatem avitam,
freti impunitate patrum (ut fieri solet) comminatur Dominus se patrum iniquitatem
visitaturum in filiis, significans, patres cultu simulachrorum in Aegypto inique
egisse, quod si filii contempta lege iam publicata patribus similes esse perrexerint,
se posteros duplicato quasi supplicio vindicaturum, atque ita gravitate supplicii
antecessorum quoque transgressiones in his visitaturum. Exemplo unico id illustra-
re iuvabit. Iehu Rex Samariae non abolendo idola peccavit. 2. Reg. 10. pecca-
vit similiter et filius eius, nec minus nepos: at in quarta et quinta tandem saeviebat
ira Dei: non quod ideo punirentur a paterno et avito crimine immunes essent
atque ita poenas nullas commeriti, sed cum tam longa posteritatis series in eodem
scelere perseveraret, Deus tandem meritas poenas inflixit, ut et patres in
his peccasse ab omnibus sentiretur, ultioneque merita tandem scelera expiaret.
Ita in patribus aliquamdiu longanimitate sua, in posteris impoenitentibus
iustitiam suam iuste declaravit iustus Dominus. Nec tamen ira Dei semper
protenditur in tot generationes, ut illam Deo remittente per misericordiam, id
quod et nunc fit non semper liberemur, ut posterorum resipiscentia et pietate intercedente
quibus ultionis comminatio interrumpitur, ut in Iosia exemplum occurrit, qui ob
singularem pietatem non vidit mala ventura super Iudah et Ierusalem propter Ma-
nassis avi eius impietatem: filii tamen Iosiae vestigiis proavi ipsorum ingredientes,
graviter luunt. Non itaque punit Deus peccata in his qui impietatem
et idololatriam maiorum non sequuntur, quia calumniam Ezechiel strenue refutat,
ubi cum Iudaei hoc dicterium circumferrent, patres suos comedisse uvam acerbam,
unde filiorum dentes obstupescerent, significantes, admissa fuisse a parentibus
peccata, quorum poenas ipsi, iusti alioqui et innocentes, penderent, respondet propheta,
non ita esse, quia ob propria flagitia plectantur: neque Dei iustitiam gravem
ut filius iustus ob scelesti patris nequitiam supplicium luat. Ita loci hi
non pugnant, sed si utrumque exponerent, et iustitiam Dei declararent ac de-
fenderent. Hanc specialem interpretationem docti quidam usurpant et probant:
quam si generaliorem clarius audire non dedignaberis, breviter recitabo.

Certum, et experientia notum est, poenas temporales saepe vagari per multos,
quibus [illegible] non sunt per iudicium condemnati, ut videre est in calami-
tatibus bellorum, pestis, et aliis communibus ac generalibus aerumnis. Id autem
fit, ut magnitudo irae Dei adversus peccata conspiciatur, ut poenarum
gravitas nos admoneat et deterreat ab impietate et idololatria, ut Deum
serio timere discamus, ne unius fiat reus exitij multorum: redundat enim
plerumque ut malitia ita et maledictio a capite in totam familiam.
Porro, quia Deo visitante nemo innocens est, universa enim hominum natura
rea est et damnabilis, quamvis ob iustam hanc vindictam Deo criminationem
intendere praesumat, cum poena saepe salutaris sit et ad timorem Dei paedagogus.
Magistratus quidem tantum delicti autorem punire debet, non alios, sed hac
regula minime tenetur Deus, cuius iudicia iusta sunt etiam quando cum iusti-
tia humana per omnia minime quadrant: ut enim nulla est comparatio
hominis ad Deum, ita nec iustitiae divinae ad humanam. Quapropter
nemo maiores suos tamen accusare, multo minus Deum iniustitiae accusare
debet in poenis, sed se quoque reum fateri, iudicia Dei iustificare, furorem
deprecari et in vera conversione ad misericordiam compatientis nos patris confugere
semper debet. Quod ad aeternas poenas, in his nemo alterius onus, sed quisque
suam portabit iniquitatem, et reddetur unicuique iuxta opera sua, testante Apostolo.
Haec interpretatio, quoque scripturae analoga est, eligatur itaque quae ad institu-
tionem et consolationem dignior putatur.

Quod ad filium Dei dominum nostrum Jesum Christum pertinet (sunt id appendix
prioris quaestionis) qui in carne nostra salvator apparuit generi humano
Judex autem vivorum et mortuorum, in nubibus coeli rediturus creditur, distinguendum
puto inter tempus gratiae et tempus iudicij: Item inter electos credentes et
reprobos incredulos. In priore adventu missus est Filius Dei a patre in mun-
dum, mediator et salvator, mitis, humilis et victima, ut omnes credentes in eum
non pereant, non credentes autem iuste damnentur. In secundo adventu cum Judex
iustus orbi universi apparebit in gloria et potentia magna, ut executio
fiat sententiae in evangelio latae per quae orbem universum publicatae. i. ut detur
fideli ecclesiae redemptionis parte fructus, scilicet vita aeterna: incredulo autem
genus Judicis ore tremendo mortis aeternae supplicio adiudicetur.
Mediatoris et salvatoris officio etiamnum fungitur Christus dominus noster ad
dexteram patris sedens et pro nobis intercedens, ad quem gratiae thronum confi-
dentes misericordiam consequimur: In novissimo autem die Judicis officium et
severitatem exercet erga eos qui noluerunt habere servatorem, sed sanguinem
Testamenti contempserunt et spiritum gratiae contumelia affecerunt. Hinc Apostoli
non solum gratiam regni Christi, sed et futurum illius iudicium orbi annunci-
arunt. Nulla hic quoque habetur contradictio, sed processus divini
iudicij aequissimus designatur. Quare cum quem salvatorem habemus,

eundem et Iudicis olim futuri [illegible], [illegible] nobis contra ne contempta Re-
demptionis gratia, in Iudicis huius severitatem incidentes, condemnationem in eo
incidimus, in quo poteramus credentes et resipiscentes sempiterna potiri salute.
Cum hac responsione simplici, Generose Comes, me fidei et tutelae tuae
humiliter commendo, et oro filium Dei dominum nostrum Jesum Christum, crucifixum
pro nobis, resuscitatum, et regnantem, venturumque iudicem omnium saeculorum, ut
nos luce suae doctrinae et spiritu sancto gubernet, aeternumque cum electis suis
tandem liberet et servet: cui gloria in saecula. Bene vale Comes Illustris.
Lasphae 30. Maij.

G. T.

D.

Nicolaus Coll.

Generoso et Mag[nifi]co Comiti, D[omi]no Ludovico,
Comiti in Konigstein et Domino
meo clementissimo.

Impia
De vindicta Dei # peccata patrum in filiis.
De judice Christo.